



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Clementem X. Pont. Opt. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

110 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Iratae sude villicae peremptos;
Insignes tibi mittimus rubenti
Cancros tergore brachiisque curvis,
Villae munera; nec minus precamur,
Illorum dape laetus ut fruaris,
Et, te iudice, delicatiori
Sic omnes superent sapore pisces;
Ut, me iudice, carminum tuorum
Binus munere consecratus anguis
Immortalibus usque & usque seclis,
Pythonem super, & laboriosi
Alcidae celebrem levatus Hydram,
Inter sidereos micabit ignes.

A D

CLEMENTEM X. PONT. OPT. MAX.

Octogesimo aetatis anno, paucis ante Clementis IX. Pontif. mortem diebus, Cardinalem, ac proximis inde Comitibus Vaticanis summum Pontificem renunciatum. An. M. DC. LXX. III. Kal. Maii.

CLEMENS, optime Romuli nepotum,
Princeps & patriae parens, & orbis,
Quando muneribus tuis rependam
Grates, quas ego debeo perennes
In me tot meritis tuis, meusque
Mecum debet, & usque debiturum
Frater se meritis tuis fatetur?
Sed dignas prohibet referre grates
Ingens copia munerum tuorum.
Ergo quae pietas amorque dicat,